



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Gvdila Morsellae iuxta Teneramondam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

danio, & ex insula Aquiscinctensi à Sigero duacum esse translatum verum Aquiscinctenses ex relatione antiquorum didicerunt sanctum Gordanium, adhuc sepultum iacere ad valvas sui templi sub monumento marmoreo, quod introeuntibus est conspicuum Duacenses vero Canonici S. Gurdinelli corpus vna cum S. Onetimo sibi à sueffionibus donatum asserunt, cum S. Amati corpus ab eis circa annum Domini 896. referetur cessantibus bellis. vide Miræum 5. & 13. Maij.

G V D I L A

Morsella iuxta Teneramondam.

GVDILA partem habuit Witgerum Comitem Conda- 8. Ian.
 tiac Verginiaci Dominum: vt Baldericus I piscopus
 Tornacensis in Chronico Cameracensi. Lib. 1. cap. 16.
 & Petrus Diuæus rerum Brabanticarum lib. 1. tradunt.
 Mater illi fuit S. Amelberga: cuius ossa cum septem alijs
 corporibus Sanctorum, Binchij in Hannonia adseruatur
 caplis argenteis inclusa. Sorores habuit S. Rainildem,
 quæ Sanctis apud Gallas in Hannonia quiescit, & S.
 Pharahildem quæ Gandau colitur, itemque fratrem S.
 Emebertum Episcopum Cameracensem. Optimis mo-
 ribus est instituta Niuellis à S. Gertrude Abbatisa & Co-
 gnata quæ ipsam de sacro fonte susceperat. Quâ defun-
 ctâ ad paternas ædes cum rediisset, sacellum S. Saluatoris
 in Morsella pago prope Teneramondam ad Scaldim sito
 die ac nocte sedulo frequentare solebat, vnde nocte quâ-
 dam dæmon vt eius pietatem turbaret, lucernam extin-
 xit quam pedissequa præferabat: sed Gudila fufis ad
 Deum precibus lumen extinctum reuocauit atq; instau-
 rauit.

rauit. Vita demum sanctissimè transacta sepelitur in Hambrabantia vico. Caroli Magni Imperatoris æuo è terrâ eleuata, inde transuecta est Morfellam condito ibidem monialium Coenobio, postea an. 980. Bruxellam translata. Vide plura apud Miræum in fastis.

G E D E R I C V S, vel vti placeat aliis,
W E D E R I C V S.

In Blandinio iuxta Gandauum.

Monachus fuit Blandiniensis, de quo historia Affligeniensis Coenobij hæc tradit. Prædicante in Alostensi opido Domino Wederico S. Petri Gandensis Monacho Blandiniensi, qui quasi stella matutina in medio nebula lucens in effugandis errorum obscuritatibus apparuit, conuersi sunt quinque milites in eo videlicet loco, vbi nunc Monasterium situm est, inter Brabantiam, id est, patriam Alostensem, & Brabantiam. Hic milites per multa tempora latrociniis insistentes tandem resipuerunt, doctorisque sui consilio animati adierunt sanctum Annonem Archiepiscopum Coloniensem, à quo impetratâ veniâ peccatorum, & in remissionē eorum recepto ab Archipræsule mandato, eo loci vbi latrociniis omnia profanarant, domū in qua Deo in perpetuum seruirent, construxerūt, locūq; Deo consecratus est anno 1083. à Gerardo II. Camera. Ep.

H E R M E S

Rotnacensis.

23 Aug. **A**Nno 132. Romæ S. Hermes vrbis Præfectus martyrio coronatur. Historiam fusè apud Adonem Vienneensem